

benigna^{c)} vestra ex clementia nuntiarem, intimo affectu pro his gratias egit gratesque omnimodas referri precepit pollicens, post Deum et sanctos eius nulli se potius obediturum in^{d)} omnibus ac servitutum iuxta vires quamdiu vixerit. Denique duos ex suis, Nantharium scilicet comitem ac Berandum capellanium suum, nobiscum ad fratrem vestrum destinavit.

Quem cum in Compendio palatio tandem invenissemus, ad eius presentiam omnes simul deducti sumus, cui cum omnia pro modulo scientiæ nostræ que mandastis exposuissemus astantibus etiam missis Hlotarii, gratulantissime omnia suscepit benignoque affectu de omnibus respondit excepto de causa Hlotarii, de qua dixit, nihil se antea agere vel polliceri posse, quam ipse sine Hlotario vobiscum loqui mereatur. Et hoc instantissime optat et orat, ut quanto citius fiat. Cui cum per^{e)} ordinem retulissemus, propter instans tempus profectionis vestre^{f)} id nullo modo hoc tempore fieri posse, respondit, ubicunque vestræ celsitudini placuerit se occurrurum.

Denique missis Hlotarii, cum de eorum legatione nihil placide susciperet, inquit [: Si dominus vester sicut christianus rex cum uxore sua legitima . . .] ^{g)} secundum instituta christiani cult[us vivere et mandata domini Apostolici . . .] ^{h)} audire et salvare se voluerit, libenter ei sicut iustum est fidelitatis et dilectionis beneficia recompensabo, sin autem, iubente Apostolico nolo alienis peccatis communicare. Atque post hæc verba eos abire permisit, dicens nos ibidem expectaturos, ut vestræ excellentiæ familiarius acⁱ⁾ secretius mandare posset que vellet.

Ergo ut tanquam pedibus vestris provoluti gratias maiestati vestræ per omnia referamus, ob amorem et honorem vestrum longe supra meritum nos habuit in familiaritate ac benignitate alimentis sustentans ac pecuniis munerans.

Itaque ut totum paucis verbis comprehendamus, quicquid ei mandaverat benignitas vestra, sive de unica dilectione mutuæ fraternitatis, sive de alterna procuracione ob salutem animarum vestrarum, sive de regno vestro, quod unum debet esse in Christo, unanimiter custodiendo deque christianæ religionis propectu prospiciendo, sive etiam de nepotum vestrorum ac propinquorum providentia non pretermittenda nec non de aliis multis, que ei mandaverat clementia vestra, omnia se gratanter suscipere ac libenter custodire velle in sua veritate contestatus est excepto, quod causam Hlotarii vobiscum conferendam decrevit, quod in hac alia scedula advertere poterit prudentia vestra, quam . . . etc.

^{c)} *Durch übergesetzte Zahlen 1 und 2 aus benigna omnia verbessert.*

^{d)} *Davor ac getilgt.*

^{e)} *Die Abschrift hat pro.*

^{f)} *Die Abschrift liest nostræ.*

^{g)} *Velde läßt hier eine Lücke von genau einer Zeile (= 3/4 Zeile unseres Druckes). Dazu macht er am Rande die Bemerkung: non poterat legi.*

^{h)} *Diese Lücke ist in der Abschrift Veldes nicht ganz eine halbe Zeile lang (= 1/2 Zeile unseres Druckes).*

ⁱ⁾ *Aus et verbessert.*